

LUC. II. 7. *Beatus venter qui te portavit: Imò beati qui verbum Dei audiunt & custodiunt.*

(*Hic in exemplo præteritum aliquid & dictum revocatur, dum Menedemus senex vocabulum habeo corrigit per vocabulum habui, in 2. Sententia sive elogium mulieris quod Christo attribuit, Christus revocat, & commodius, in quo vera beatitudo consistat, substituit.*)

Vel 2. integra oratio revocatur: ut, *sed finis sit: neque enim præ lachrymis loqui possum: & hic se lachrymis defendi vetat. Pro Milon.*

(*His verbis Cicero orationem pro Milone finit, cùmque in eadem pluribus Milonem defendisset, eleganti hac Epanorthosis orationem totam his verbis revocat.*)

1. Epanorthosis & Aposiopesis in eo conveniunt, quòd utraq; revocet aliquid: In eo verò differunt, quòd illa substituit verbum aliquod commodius: hæc verò prorsus abrumpit.

2. Fit Epanorthosis vel augendo, vel minuendo, vel commutando.

3. Ejus notæ plerunq; sunt: *imò, imò, potius, seu potius, quin potius, atque adeò, non sed, non solum sed penè dixissem, dixerim, &c. ut, quid dico habere me, imò habui. Vertit Homerum, penè dixissem, pervertit.*

### Exempla alia.

Rom. 8. 22. *Scimus quòd omnis creatura congemiscit & parturit adhuc usq; Non solum autem illa, sed & nos, qui primitias Spiritus habemus.*

1. Cor. 7. 10. *His autem qui matrimonio juncti sunt præcipio; non ego sed Dominus,*

1. Cor.